iudicentur. impii uero illuc ad dampnationem iudicandi sunt. Unde et sequitur. Sicut principium
a nobis quid erit finis eorum qui non crediderunt euangelio dei. Ad districti examen iudicis nec
iusticia iusti secura est. nisi pietate diuina. Ut et ipsa iusticia qua quisque iustus est. deo iu
stificante iustificetur. Alioquin apud deum et ipsa peccatum est. Inde est iob. et innocentem. et impium
ipse consumit. Consumitur quippe a deo innocens quando ipsa innocencia liquido requisita. et
diuine innocencie comparata nichil efficitur. nisi et ibi diuine misericordie pietate homo
iustificetur. Consumitur item a deo impius. quando ex animis diuini subtilitate requiritur
eiusque detecta impietas iudicata dampnatur. Consumit innocens et impius simul
fine carnis non pena dampnationis. Doctus pariter et indoctus moriuntur. sed mor
te carnis non pena dampnationis. Omnia autem pergunt ad unum locum dum morte
corporali interiam. et iusti et impii reuertuntur. Retribucio autem dissimilis. sicut
per eundem salomonem dicitur. quid plus habet sapiens a stulto nisi quod illuc pergit ubi uita est.
Ergo omnes interim pariter redeunt. nam ubi uita est non pariter pergunt. Gemina pu
nitur sententia impius. dum aut hic pro suis meritis excecitate percutitur ne ueri
tatem uideat. aut dum in fine dampnabitur. ut debitas penas exsoluat.
Geminum est diuinum iudicium unum quo et hic iudicantur homines. et in fu
turo alterum quo postea hic iudicantur. ne illuc iudicentur. Idoque quibusdam ad
purgationem temporalis proficit pena. quibusdam uero hic inchoat dampnatio. et
illuc perfecta speratur perdicio. Iudicio reprobi humanitatem christi. in quo iudicaturus est
uidebunt ut doleant diuinitatem uero eius non uidebunt ne gaudeant. Quibus enim
diuinitas ostenditur. utique ad gaudium demonstratur. Pro diuersitate conscienciarum
et mitis apparebit in iudicio christus electis. et terribilis reprobis. Nam qualem quisque con
scienciam tulit talem et iudicem habebit. Ut manente in sua tranquillitate
christo. illis solis terribilis appareat quos consciencia in malis ~~con~~ accusat. Due
sunt differencie uel ordines hominum in iudicio. hoc est electorum. et reproborum qui
tamen diuiduntur in .iiii. Perfectorum unus est ordo. qui cum domino iudicat. Et alius qui iu
dicatur. Utrique tamen cum christo regnabunt. Similiter ordo reproborum partitur in duobus
dum hii qui intra ecclesiam sunt mali. iudicandi sunt et dampnandi. Qui uero extra ecclesiam inueni
endi sunt. non sunt iudicandi. sed tamen dampnandi. Primus igitur ordo eorum qui iudicantur
et pereunt. opponitur illi ordini bonorum. de quo sunt qui iudicantur et regnant. Secundus or
do eorum qui non iudicantur et regnant. Tercius ordo eorum qui iudicantur et regnant. illi ordi